Fragmentarium

pe deificationem nostram. V. Qui sedes ad dexteram patris
miserere nobis V Quoniam tu solus sanctus V Tu so-
lus dominus V Tu solus altissimus V Ihesu christe Cum
sancto spiritu in gloria dei patris amen.
Spiritus et alme orphanorum paraclite Primogeni-
tus Marie virginis matris A Summe marie gloriam P
marie meritis Mariam sanctificans Mariam guber-
Mariam coronans Ihesu christe.
Alleluia V Angelus domini descendit de celo et accedens re-
volvit lapidem et sedebat super eum V Respondens autem
angelus dixit mulieribus quem queritis ille autem dixit
ihesum nazarenum

Mundi renovatio nova parit gaudia resurgenti
domino conresurgunt omnia elementa serviunt et au-
ctoris senciunt quanta sint solempnia Ignis vo-
lat mobilis et aer volubilis fluit aqua labilis terra
manet stabilis alta petunt levia centrum tenent gravia
renovantur omnia Celum fit serenius et mare tran-
quillius spirat aura levius vallis nostra floruit revirescunt
arida recalescunt frigida postquam ver intepuit Gelu mor-
tis solvitur mundi princeps tollitur et eius destruitur
in nobis imperium dum tenere voluit in quo nihil habuit
ius amisit proprium Vita mortem superat homo iam
recuperat quod prius amiserat paradisi gaudia Viam
prebet facilem cherubim versatilem ut deus promiserat
amovendo gladium.

License: cc-by-nc – Linz, Oberösterreichisches Landesarchiv, Stiftsarchiv Mondsee, Hs. 190, KiMondH190_HDS – Missale (https://fragmentarium.ms/view/page/F-7efj/2452/30457)